

Al Coll. Salamanca yout. 6.^a

DE ÆQVITATE
SIVE IVSTITIA
COMMENTARII DVO.

*ADVERSVS NVGAMENTA
& officias Anti-Triboniani personati.*

Authore GVILIELMO MARANO Antecessore Tolosano.

*Opus ad natiuam Jurisprudenciam in schola & foro
restituendam non modo utile sed & appri-
mè necessarium.*



TOLOSÆ,
Apud DOMINICVM, & PETRVM BOSQ.
M. DC. XX. II.





DE ÆQVITATE

SIVE IVSTITIA

*ancipitas ut duplex i que excludit caput in clauso 2^a que includit caput in clauso
 Nauticus in publico de medicis n^o 72^a 2139^a tabis sine fo 38 102*

COMMENTARIVS PRIMVS.



QVOD Iustinianus artis iuris conditor, ipso Pandectarum principio ante omnia, verbis Ulpiani serio præcipiendum esse censuit: iuri operam daturum, prius nosse oportere, unde iuris nomen descendat *l. 1. de Instit. & iure ff.* hoc plerique omnes quasi rem nihili negligere solemus, graui profectò eruditionis & probitatis dispendio. Neque enim grammaticam verbi notationem, sed rei ipsius originem & naturam significat, cum subiicit, ius esse à iustitia appellatum: vt nempe doceat ius esse aut dici verè non posse, nisi à iustitia proficiscatur: quod ex ipsa definitionis ratione statim aperte probat, nam ius est, inquit, ars æqui & boni: cui omninò consentaneum est, quod Tullius lib. 3. de Republ. scripsit, ius esse quod de iustitiæ fontibus manauerit. Vnde perspicuum est nunquam planè intelligi quid ius sit, nisi prius intelligatur quid sit illa à qua ortum & substantiam capit iustitia, siue æquum & bonum, quod pro iustitia promiscuè vsurpatur in *d. l. 1.* sicut & æquitas in *l. 31. bona fides §. 1. ff. de positi.* Æquitatis enim & iustitiæ vocabula, eodem sensu accipiuntur, & vt synonima sæpè coniunguntur, vt in *l. 8. placuit Cod. de iudicijs. l. 1. de fide instrumentorum, Cod. Theodosiano,* & in veteri Glossario, vbi *ἰσχυροσύνη*, æquitas iustitia, atque apud Tullium in Topicis sub finem his verbis, æqui-

*In frag-
 mentis
 pag. 301
 nu. 18.
 editione
 Parisiensi
 ex officina
 Roberti
 Stephani
 1538.*